

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA¹³
QVÆ SISTIT^{12.}

**MORBI CORRUPTI
SPECIEM,
i. e.
HÆMOPTYSIN**

**EX INFAUSTA
CONSOLIDATIONE
ULCERUM PEDUM.**

QVAM
CONSENSU GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,
SUB PRÆSIDIO
PRO-DECANI SPECTABILIS

**DN. GEORGII DE-
THARDINGII,**

Medicin. Doct. & Profess. Ducal. Publ. Ordin. Facultatis, Colleg. Ducal. & totius
Academ. Senior, Acad. Natur. Curios. Colleg.

PRÆCEPTORIS ac PROMOTORIS ad urnas devenerandi,

IN ILLUSTRIS AD VARNUM ACADEMIA

Pro summis in Medicina Honoribus ac Privilegiis legitime consequendis

Publico placidoque examini submittit

LUDOLPHUS SCHÆFFER, Wismar.

IN AUDITORIO MAJORI ad D. Decembr. A. R. S. c19 13cc xxv.
Horis ante & post meridiem statis.

ROSTOCHII,

Typis IO. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

12

DISSERTATIO IN UNGUARIS MEDICA
QVA ERUIT

MORBI CORRUPTI
SPECIEM.

^{i. e.}
HEMORRHOIDUM

EX INTAUSTA

CONSOLIDATIONE
ULCERUM PEDUM

CONSENSU
SUBJECTORUM
PR. DECAVI


DN. GEORGI DE
THARDING

Medicin. Doct. et Publ. Lect. Ord. Medicin. Collegii. Thardi. & totius
Aethiopi. Universit. Thardi. Curator. & Prof. Publicus
PRAECEPTORIS ac PROMOTORIS ORD. ad studium Thardi. & totius
Aethiopi. Universit. Thardi. Curator. & Prof. Publicus
Thardi. & totius Aethiopi. Universit. Thardi. Curator. & Prof. Publicus

LUDOLPHUS SCHAEFER, Wilm.
IN AUSTRIACO MARIBUS

ROSTOCKI
Typis IO. JACOBI ADLERI, SARAEV. PAVLOV. & SOCIOR. Typogr.





PROOEMIUM.



Dum in eo eram occupatus, ut Thema aliquod Practicum, secundum Statuta Facultatis Medicæ, loco speciminis Inauguralis ventilandum eligerem, incidit in mentem Effatum Celebris cujusdam Professoris Medicinæ in hac Academia, nunc coelitis adscripti, qui sub Examine Chirurgi alicujus tantum in ulcera antiqua, corrupta & chironica inquirens, & interrogatus ab hoc: cur non potius desideraret, quamnam curationem vulnera, fracturæ aliæve læsiones recentes velint? respondit: *Noli credere, tibi in his terris sananda fore ulcera recentia ac boni moris: sed rebellia, male tractata ac curatu difficillima; illa enim prius medicastris, carnificibus & vetulis committentur, quam ad manus tuas pervenient.* Eadem certe luditur Scena in Praxi Medico-Clinica, quando vi πολυθρόλλητες hujus:

*Fingunt se Medicos qui vis Idiota,
Sacerdos &c.*

Unusquisque, qui è longinquo remedia vel accipit vel legit, se Medicum expertissimum credit & venditat, gravissimos morbos levi manu à se curari posse sibi persuasum habet, hinc gloriatur talia se præstiturum, quæ nec Medici peritissimi possint; sicque sesquipedalibus, pomposis & tumidis verbis Author est, ut ægroti, quo decipiantur, proni, eundem pro organo Delphico habeant, & ad eum tanquam ad sacram anchoram confugiant, sic non tantum nummos vel sanitatem, verum & aliquando vitam periclitentur. Tantum certe abest, ut promissis his vanis eventus respondeat, ægrique pristinæ sanitati restituantur, ut potius, emuncto prius ære, in deteriore ac magis deplorandum ruant statum, si non plane fatis cedant. Sub hisce angustiis tunc demum recursus fit ad verum Medicum, quo hic restituat calamitatem à Medicaastro concitatam, ac, quæ corrupta sunt, sua opera resarciat. Quænam autem sub hisce circumstantiis urgeat restitutionis difficultas, hinc norunt, queis non sine cordolio eadem experiri quotidie contingit. Operæ hinc præmium esse duxi, si morbum quendam satis contumacem, & ex intempestiva Circumforanei cura subortum, atque in quodam Commilitonum meorum observatum in hac Disputatione proponerem, & quæ mea sit de ejus origine & curatione sententia, evolverem. Faxit supremum Numen, quod studiis meis hætenus ex alto benedixit, ut tractatio Thematæ hujus sat ardui in sui Nominis gloriam & proximi emolumentum cedat!

HISTO-

HISTORIA.

Iuuenis decimum nonum agens
annum, Sanguineo-Pblegmaticus, ante ali-
quot annos formandorum studiorum ergo ruri
degens, ex erroribus Diæticis circa victum
crassum & aërem humidum, commissis, ab exulceratione pe-
dum graviter affligebatur. Diu satis hanc sustinebat, quo-
niam hæc excretio spontanea inter salutare relata fuit:
cum vero ulcera demum evaderent mali moris, quæ nec
unguentis, nec emplastris, nec ferro mitigari potuerunt,
hunc corporis sui statum, qui per aliquot jamdum annos
duraverat, diutius ferre propter summas molestias volebat;
nec ob acerbissimos dolores valebat, sed occlusionem ulce-
rum anxie efflagitabat. Invenit tandem quandam,
qui ad desiderium sanationem ulcerum intra paucarum hebdo-
madum spatium certissime promittebat, & medicamentum
quoddam subministrabat, duritiem lapideam præ se ferens,
aqua calida solvendum, ac ope linteaminum duplicato-
rum calide per diem aliquoties imponendum. Eger
voti quidem sui particeps reddebatur, sed observabat
non longe abhinc pectoris angustiam sub inspirando,

accedebat stridor in respirando, die Brust
 sang: respiratio ipsa erat difficilior & anhelosa, die
 Brust ging schwer: imprimis vero incusabat oppletio-
 nem pectoris à muco tenaci, die Brust sey ihm sehr
 voll: cui tamen interdum materiae pituitosae excretio, li-
 cet valde difficilis, levamen afferebat. Talis erat morbi
 per biennium, cum aliquali etsi vicissitudine, continuantis
 facies. Omnia autem memorata phaenomena à motu cor-
 poris graviori & protractiori adeo ingravescebant, ut per
 vices cum magna visceri muci quantitate sanguis sincerus
 per laryngem ejiceretur. Fuerat horum omnium remissio,
 cum die nono Februarii hujus anni, qui erat dies Veneris,
 duorum miliarium iter ad spectandum supplicii genus, ubi
 quidam sceleris poenam luens rota vivus multabatur, sive
 quod ajunt: es ward einer von untenauf gerã-
 dert, susciperet. Senserat jam vespera praecedente dolo-
 rem capitis, sed transitorium, attamen, cupidine insoli-
 tum in his terris mortis genus spectandi percitus, summo mane
 atque stomacho jejuno ad locum judicii equo vectus festina-
 bat. Enim vero quoniam Judicialia prius celebranda ho-
 ram mortis ad meridiem usque differebant, atque propter
 turbam hominum undique confluentium vix ac ne vix qui-
 dem alimenta ere venalia prostabant, neque locus quieti
 commodus supererat, per totum diem sub caelo admodum se-
 reno, frigidiori tamen, equo insidere atque stomacho cibis
 vacuo domum reverti coactus, tantam virium jacturam pa-
 tiebatur, ut vix super equo se continere potuerit. Simulac
 autem patrios salutaverat penates, conquerebatur de dolo-
 re capitis gravativo, aestus intensior totum corpus invade-
 bat,

bat, ut lecto decumbere necesse haberet. Totam noctem eger insomnem traherebat; Urina mane reddita erat intense rubra, cruciabatur puncturis dolorosissimis intra cavitatem thoracis, donec altero die maximam præcordiorum angustiam sentiens multum cruoris non sine metu & terrore adstantium, accedente tussi, ejiciens, exanimis ferme decumbebat. Hæc excretio una cum æstu totius corporis intensissimo, qui febris ardentis indicium præbebat, tertio quoque die, nempe die Solis, continuabat. Cum vero illa circa noctem cessavisset, distensio vero & motus gravior pectoris, imo calor igneus circa cor suffocationem minitarentur, Venam in dextro brachio tundi Parens ægroti curabat. Cruor è vena missus admodum erat spumosus & viridescens coloris. Nihilominus anxietas ægroti perseverabat, palpitatio cordis erat admodum sensibilis, motus corporis spasmodici degenerabant in convulsivos, hinc secunda vice revulsionis ergo jussu Medici è brachii sinistri Vena Mediana sanguis largiter ducebatur. Cum autem sanguis intra pulmones hærens, qui sub forma mucosa purulenta non sine maximo conatu atque tussi aspera excluderetur, rejici non posset, quin potius spissior fieret, varia superveniebant symptomata. Febris continuabat, inquietudo aderat maxima,angebatur eger diris visionibus, quas excipiebant motus spasmodici pectoris & abdominis reciprocantes, motus epileptici, tetanus, catalepsis, tandemque paralysis brachii atque pedis sinistri ut parum absuerit, quin ad fascinum omnia relata. Hæc omnia durabant per octiduum & supra. Medicus suadebat magna fiducia fonticulos in pede concitandos, sed parili audacia abnucebat eos eger. Varia ergo medicamenta ad temperandum sanguinis orgasmum, ad excretionem pectoris facilitan-

cilitandam, ad motus Naturæ extraordinarios infringendos, quæ inter sedativum Dippelianum excellerebat, nec non ad virium conservationem facientia propinabantur, alvus ad aliquot dies strictior Infuso laxativo cum levamento solvebatur. A vesicatoriis utriusque pedis suris prima vice citra vesicæ elevationem, altera autem non sine effectu applicatis rigiditas pedis remittebat, brachii vero perdurabat ad finem morbi, qui tandem adfistente Divina gratia, elapso quinque septimanarum spatio, feliciter tollebatur. Post mensem hic Juvenis, præcedente ira, denuo gravi hæmoptysi laborare cœpit, quæ venesectione primo die instituta cessare visa, altero tamen die, prævio vomitu bilioso, iterum strictorii nisus circa pectus insurgentibus, adeo ut maximis conatibus respiratio continuanda. Tussis hac vice erat gravior, & mucus propter visciditatem tenacem vix elevari & excerni poterat, febris quoque Tertianam simulans se sociabat. Vigiliæ erant perpetuæ, unde quoque virium oriebatur diminutio, sudor interdum colliquativus, interdum præsertim circa frontem frigidus. Quoniam vero partim Expectorantia, partim Diuretica, partim Antispasmodica, partim Analeptica, imprimis vero Eccoprotica & Enemata repetita speratum consequerentur effectum, egrotus, Deo sint gratias! ex hoc morbo admodum periculoso iterum elucubatur. Præservationis ergo ex consilio Medici Fonticulum in pede, quem prima vice respuerat, jam lubentissime gerit, ab hoc tempore firma satis fruens valetudine.

RESO-

RESOLUTIO CASUS.

CAPUT I.

affert

EX PHYSIOLOGICIS, quæ ad mor-
bi circumstantias melius intelli-
gendas facere videntur.

§. I.

I Radituro mihi analyfin modo memorati
casus instituti ratio svadet, ut ex Phy-
siologicis hæc in primo limine attingam,
quæ in subfequentibus thefibus aut ætiolo-
giam aut connexionem dabunt. Nam licet morbum
pro themate hujus laboris inauguralis elegerim, qui
quoad summum genus ad Excretiones præternatura-
les referendus, ergo ultra limites Physiologiæ con-
stitutus est; operæ tamen pretium fore arbitratus sum,
quando negotium *Excretionis halituoſæ* mox erit alle-
gandum, ut, quomodo hoc ad ordinarias Naturæ le-
ges se habeat, generali confiderationi ante subjiciam,
quam ad anomalias illius me convertam, quo & hic
recta curvæ index evadat.

§. II.

Sub termino *Excretionis halituoſæ* venit hic *actus*
vitalis, quo, mediante motu tonico, prægreffis variis
B circu-

circulis sanguinis, quædam ex massa sanguinea ad peripheriam corporis & viscerum interiorum ablegantur, partim, ut hic sub forma humida tenuissima usum oblivitionis præsent, partim, ut vehiculum sint, quo fatiscentes sanguinis, lymphæ, aëris etc. particule attenuatæ satis sub vaporis forma una proscribi possint; qui ultimus finis imprimis hujus loci est.

§. III.

Dicitur Excretio hæc optimo jure *Universalis & Primaria*. Sive enim tempus ejus spectem, hæc non solum in fœtu obtinet, sed etiam in hominibus natis indefinenter dies noctesque continuat; Sive organum considerem, velificatur huic tota corporis compages & excretio hæc halituosa præsertim obtinet tam interne in Pulmonibus & tunicis viscerum interiorum, quam externe per cutem & totum ambitum corporis, quando aliæ secretiones in hac vel illa exigua regione aliquando saltem absolvuntur & definitum temporis spatium requirunt; sive tandem quantitatem halituosorum exactiori cum SANCTORIO examine indagem, quæ hæc reliquas excretiones omnes immensum quantum superat, certe Excretioni Halituosæ prærogativa haud erit deneganda.

§. IV.

Perficit hanc Natura summa industria, cumque ab eadem sanitatis & vitæ momenta potissimum dependeant, omni sollicitudine attendit, an ad proportionem inter solidas partes & fluida necessariam omnia in corpore conspirent, an vero quid peregrini

regrini se motibus suis in salutem Oeconomiae animalis susceptis opponat? Quodsi faveant causae occasionales, excretio haec largius instruitur; ut, quando res commode succedit, animum videas hilarem & totius corporis observes alacritatem; è contrario vultum magis ad tristitiam compositum, membrorumque torporem & gravitatem, quando hoc negotium turbatur. Abhinc observamus Naturam illico hanc excretionem in subsidium vocare, cum vel levissimae angustiae motibus vitalibus periculum minitari videntur, quoniam illius ope quam citissime sibi subvenit.

§. V.

Quantumvis autem haec Excretio halitiosa in omnibus hominibus, per omnem vitae tractum, per easdem vias peragatur, (nisi fortean, quae per pulmones fit, in foetu exceperis) non levis tamen est ejus diversitas, quae ratione *Temperamenti, Aetatis, Rerum non-naturalium* etc: toto die attendentibus se sistit.

§. VI.

In *Temperamento sanguineo* quia viae & meatus, secretioni & excretioni dicati, satis sunt patuli, ut fluida sub proportionata quantitate & consistentia libere & placide transeant, est quod serum sanguinis, accedente blando calore, aequali & modica pressione facile ita discontinuetur, ut in vapores resolutum una cum variis particulis heterogeneis se infnuantibus excernatur: hi ergo in sudores faciles sint. In *Phlegmaticis* haec excretio halitiosa languet equidem, quia



partes solidæ flaccidiores non gaudent tanto tono fluida vivide propellendi, hinc fluida lentorem contrahunt, mucilaginosæ fiunt & viscidiora, quæ difficulter admodum in formam adeo tenuem dissolvi & exclusioni liberiori apta reddi possunt; accedente tamen motu corporis, attenuatione prævia, itidem fit, si non tanta, quædam tamen & levans halituum exclusio. In *Cholerici Temperamenti* individuis, etsi densitas fibrarum obstet, quo minus largiter expirent, impetus tamen motuum vitalium sub fluidorum tenui consistencia illam compensat, ut accedente causa occasionali sudorem quoque experiantur. In *Melancholicis* tum ipse corporis habitus strictior, tum humorum spissitudo & tardior motus obest, quo minus in his transpiratio tam prompta sit, quin ad excretionem sub forma halituosa necessariam difficultas quædam se immisceat.

§. VII.

Eadem discriminis observatio sese sistit ratione *Ætatum* hominis. Experientia confirmat in *primæ* ætatis periodo secretiones halituosas esse liberales, præcipue vero circa caput & ejus confinia fieri conspicuas. Favet huic negotio *capillorum augmentum*, *negotium dentitionis*, *ploratus* infantum frequens, tum quoque in ultimis hujus periodi annis *exercitium rationis*. utpote quæ omnia majorem sanguinis affluxum ad caput procurant, ut serum largiter transfudet. In ætate *secunda* remittit in tantum Excretio halituosa per cutem, nisi occasionales causæ aliter velint, sed per *Pulmones* vividior est, ac vocis & sermonis mutatio gravis hoc à posteriori quoque comprobant. Vitæ genus
va-

varium variat in *tertia* ætate halituosam illam excretionem, quæ ceteris paribus moderata nec tam larga est, quandoquidem Urinæ secretio liberalior illi quoque detrahit. In *quarta* ætate ob strictiorem cutem & humorum spissitudinem, tum quoque tardum magis sanguinis circulum hæ ac aliæ excretiones omnes moram quandam trahunt & langvent.

§. VIII.

Quodsi Excretionem feri halituosam, quatenus illa ab usu *Rerum non naturalium* vel intenditur vel inhibetur, attentius confidero, sequentes se offerunt mutationes diversæ. *Aër Calidus* favet accessui sanguinis ad litora microcosmi, quo serum se per poros cutis secure proripiat, & quia motum progressivum, æque ac intentionem accelerat, dum in pulmones recipitur, secretioni halituum internæ non leve pondus addit; è contrario sub *frigida aura* & in pulmonibus & in cute rarior vaporum transitus, minor adhuc hic quam illic, ubi transitus sanguinis intensus injurias tales non adeo facile admittit. Tum quoque sub *aura humido-frigida* remora modo levis modo major huic excretioni injicitur, quæ si perstiterit in damnum abit; ut illa præstet *sicca atmosphaera*, modo haud diu perstiterit. *Alimenta* copiosius ingesta, quæ multi sunt succi & calidiora, item fluida largius hausta, si insuper spectant ad generosa, & quantitatem & motum sanguinis adaugent, quo ipso serum secernendum citus in vapores & halitus dissolvitur, & in majori copia insensibiliter excluditur, imprimis hoc suaviter obtinet circa matutinas horas, quando cæna solito fuit largior. Sub *Motu corporis locali* quovis, im-



primis sub laborioso , infveto, diutius protracto , quod
 sangvis vehementius per fibras transmittatur , atte-
 nuetur , sicque halitus in guttas concrefcant , nemo
 est, qui non ab experientia noverit ; quando sub *Quiete*
 & motu mufculorum diutius cefante excretio hali-
 tuofa feri & particularum heterogenearum valde de-
 bilis eft & fufpenfa. *Qui Somno* largiter indulgent,
 præfertim sub lauta diæta , in his excretiones ferofæ
 fiunt eqvidem , fed quoniam deficiunt motus corpo-
 ris laboriofi ad motum fangvinis progressivum & in-
 teftinum vivide continuandum neceffarii , vix debita
 proportione procedunt. Magis impingunt, qui *Vigilias*
 ad fummum mane continuant , ne dicam toti œcon-
 miæ vitali detrahi , quando mens meditationibus im-
 mersa eft , ob auram frigidiorẽ vel maxime ifthæc
 evacuatio in pedibus retunditur, qui inde fiunt oede-
 matofi , & fenfim per reliquam cutem langvide hæc
 excretio incedit. *Quod ad Excernenda & Retinenda*
 attinet, certe admodum mirandus eft refpectus Na-
 turæ ad Halituofam, quando humoris ejusdam excre-
 tio à caufis externis vel internis læditur , ut hæc ad-
 aucta defectum fuppleat ; vel quando excretio quæ-
 dam modum excedit, ut huic detrahat, ficque ad pro-
 portionem fervandam follicite attendat. Denique ab
Animi affectibus negotium Excretionis halituofæ vario
 modo afficitur, ut videas sub metu, terrore & triftitia
 fangvinem ad interiora corporis fubduci , neque ex-
 cretionem halituoforum per habitum corporis exter-
 num priftino more vigere ; sub ira vero fangvinem
 cum vehementia ad fuperficiem corporis diffundi &
 abhinc excretionem halituofam largius inftitui.

§. IX. Su-

§. IX.

Supereſt ut de *Conſuetudine* pauca quædam edifferam, ſiquidem hujus vis in Excretionem Halituoſa acceleranda vel retardanda ſubinde multum poteſt; admittit autem hæc ſuos quoque gradus. Nam ſecundum *diverſa cæli climata* illis excretio halituoſa magis frequens eſt, ſed minus moleſta, qui terras meridionales inhabitant, quando regionum ſeptentrionalium incolæ illa magis afficit, ſed his minus eſt larga. Ratione *vitæ generis* itidem quædam differentia circa conſuetam excretionem halituoſam obſervatur: quippe quæ largo quidem proventu obtinet, minime tamen tantam virium debilitatem poſt ſe relinquit in illis, qui corpus motibus laborioſis & gravioribus quotidie exercent, ac quidem in his, qui vitam ſedentariam agentes & quieti magis dediti ad negotia paulo ardua, membrorum agitatione obeunda, præter moram ſe accingunt. Quin imo reſpectu *ſenſibilitatis* excretio halituoſa magnopere variat, & huic eſt tribuendum, quando ſub eadem athmoſpheræ conditione, cæteris quoque in tantum paribus, nihilominus hic calet, ille friget, iſte modo torpet; ac ſic molimina excretoria vel continuant, vel ſuſpenduntur, vel languide inſtituuntur. Ingens proſecto eſt conſuetudinis efficacia in patientia & tolerantia affectionum atque mutationum aëris ambientis. Comparant aſſuetudinis hujus exempla luculenta præprimis ad tolerandum frigus circa excretionem halituoſam in Hiſpanis, Italis, Germanis, Ruſſis. Qui in regionibus calidioribus Hiſpaniæ, Italiæ, nati ſunt, ſi in terris borealibus ad certum aliquid tempus degunt, contactum

Etum frigoris illorum œconomia valde periculosi impatienter admodum ferunt, atque nisi humorum fervorem, quem usu calidorum suæ terræ potulentorum contraxerunt, vel tempestivis sanguinis ventilationibus vel tenuiore potu & oligophoro restinguant, & hoc modo impeditæ transpirationi consulant, molestis congestionibus & inflammationibus internis affliguntur. E contrario quam insolitus quamque nocivus videri posset mos veterum Germanorum & adhuc hodie Russorum, quando vel infanti aquæ frigidæ immerguntur, vel adultiores à balneis exeuntes corpore æstuante & nudo, hyeme frigidissima in nive se circumvolutant, tam innoxium imo salutarem inde effectum exfurgere non solum historiarum scriptores, sed & multi Rostochiensium cives adseverant, qui hujusmodi actionum ante aliquot annos fuerunt testes oculati. Cardio rei in hoc versatur, quod, pro dispositione corporis, & animi ad ejusmodi alterationes sustinendas præsentia atque firmitate, motus circa peripheriam corporis suscipiendi promptitudine, quando necessitas postulat, majori exsequantur; vel etiam abstinencia ab operosis resistendi modiminibus observetur.

§. X.

Ex his allatis dubio procul constabit, Excretionem hanc Halituosam œconomia vitali non minus utilem quam necessariam esse, ad quam Natura statim convolat, ubi molestum quid ex corpore citissime est eliminandum. Imprimis autem notari meretur, quod Natura tam sollicitè *Harmoniam & Reciprocationem inter Cutem & Pulmones* observet: ita nimirum cum eadem

eadem comparatum est, ut excretio per insensibilem transpirationem intendatur & cutis sudore diffuat, quando excretio halituosa, quæ in pulmonibus fit exspirando, intercipitur; & vice versa, cum per superficiem corporis excretio particularum aquearum, mucidarum, salinarum, sulphurearum &c. à causis occasionalibus evertitur, ut ad pulmones regressus instituatur, & excretio sub forma halituosa multis conatibus adornetur.

CAPUT II.

affert

EX PATHOLOGICIS, quæ ad morbi cognitionem faciunt.

§. XI.

Quantacumque autem sollicitudine Natura actus suos secretorios & excretorios in corpore humano instituat, quanta felicitate eosdem absolvat, sicubi humores putredini nunquam non faventes continua depuratione à noxiis & heterogeneis moleculis liberantur, hæque per convenientia loca excretoria è corporis pomæriis proscribuntur; quanta commoda quoque in œconomia animali exsurgant, cum Natura suos motus vitales vivide, placide ac blande continuat, corpus ad omnes motus instituendos admodum habile & pronum existit, sicque gratissima hic occurrit harmonia, quæ sanitatis voce indigitari solet vid. §. 3.: tanta pariter

C

noxæ

noxæ, tantæque calamitates sunt metuendæ, sicubi turbæ quædam notabiles circa hos actus vitales occurrunt, siue oriantur à causis externis, remoram quandam injicientibus, siue à vitiosa & partium solidarum & fluidorum qualitate, siue ab erroribus Naturæ inducantur; nunquam non exinde concutitur sanitas, tot præfidiis & munimentis alias defensa, & si non mors, certe tamen morbus quandoque fat periculosus subsequi solet. Remanent quippe sub impedita secretionem & excretionem particulæ noxiæ in corpore, &, dum actu jam putredinem sapiunt, reliquos humores itidem in consortium corruptelæ trahunt; ut, nisi defensio intrinseca contra talem constitutionem accesserit, revera totum corpus corrumperent, mortemque ante terminum accelerarent. Testimonio sunt, prægressis motibus præparatoriis, *criticæ illæ evacuationes*, tam quæ per *sudorem & alvum* &c. fiunt, ac quæ per *metastasin in abscessibus, bubonibus, exanthematibus, scabie &c.* obtingunt.

§. XII.

Nulla tamen excretio pluribus iisque gravioribus difficultatibus obnoxia est, quam hæc, quæ sub forma halitiosa ex peripheria corporis sub sæpius allato transpirationis insensibilis vocabulo peragitur. Non tantum enim illa ex usu & commodis inde redundantibus omnium excretionum *primaria* existit, prouti §. 3. & 4. monui, sicque turbata gravissimas præ reliquis noxas post se trahit; verum etiam, quia accurata Naturæ sollicitudine opus est, si iusta quantitate, debito modo, tempore legitimo, loco adæqvato absolvi debeat, sub quibus circumstantiis facil-

facillime error gravis, aliquando lethalis committitur; & tandem quia hæc excretio impedimentis externis quam maxime est exposita, dum aëri semper patet; ab hujus vicissitudinibus aliisque causis externis facile alterari potest. Juvabit autem, & ad enodationem propositi casus non parum faciet, si differentias sub diaphoresi sufflaminata occurrentes prolixiori paulo examini subjiciam.

§. XIII.

Ratione *temperamenti* turbatur excretio hæc halituosa præsertim in *Sanguineis* & de hoc temperamento participantibus; non tantum, quod temperamentum hoc ad excretionem halituosam præ cæteris est proclive (§. 6.) verum &, quod sensus internus est magis acutus ipsaque Natura in suis moliminibus satis inconstans; hinc levissima accedente causa transpirationem turbante statim quoque ab eadem abstinet, & ut alia methodo sibi subveniat, illico contendit, ex quo *inflammationes, febres acutæ, catarrhales &c.* In *Phlegmaticis* prouti nec sensus internus tam acutus, nec ob visciditatem sanguinis transpiratio tanta (§. 6.) sic nec tantæ ab eadem impedita anomalix; sed lento gradu ad exclusionem particularum retropulsarum procedit Natura, de quo testantur *œdematosi tumores, coryza, cachexia &c.* *Cholerici*, licet non tantopere expirent (§. 6.) attamen sub sudore retropulso ob Naturam impetuose in iisdem agentem sæpius experiuntur *febres acutas, ναυσώδην* indolem referentes, cum eccrifi tandem eademque ut plurimum *serosa* finiendas. *Melancholici* à transpiratione impedita haud adeo alterantur, cum ob habitum corpo-



ris frictiorem ac densas cutis fibras parum exspient; sicubi vero sub motu corporis graviori & sudore tunc prorumpente hic retunditur, morbis *scirrhis* corripuntur, ex indole sua sat contumacibus, refractariis & arte medica non tam facile extirpandis.

§. XIV.

Ratione *Ætatis* *infantes* ex impedita transpiratione præprimis pati ex §. 7. colligere est. Sanguis enim tenuis, motus humorum vividus & patuli corporis pori hanc evacuationem præ cæteris continuant, ac Natura à particulis superfluis ac noxiis summa cum euphoria se liberat; si igitur remora huic injicitur, quo pertinent balnea minus tepida, in infantibus molimina excretoria percipiuntur circa caput, quæ *achores, tineam, crustam lacteam* inducunt. In adolescentibus pectus magis petitur. (§. 7.) unde variæ stricturæ, sub *pandiculationibus, oscitationibus, tussiculosis insultibus*, in *tusses contumaces, asthmata tam sicca, quam humida*, ac *respirationis varias difficultates*, abeunt. Quoad *tertiam ætatem* circa abdomen se prodit excretionis halituosæ sufflaminatio sub forma *torminum, fluxus hepatici*. In *senibus* observantur abhinc *lassitudo infœta, obnubilationes mentis, opthalmiæ, epiphora, tussis humida* & pro reliquo vigore aliquando *abscensus & vitia cutis*.

§. XV.

Ratione *sexus* diversos fatis ex præpedita transpiratione observamus effectus. Quodsi in *viris* tantum attendamus ad *sudationem pedum* frivole suppressam, item quando *affectui podagræ* obnoxii vivunt, notiffi-

notissimum est, ruere eosdem in *vitia colli, asthmata* satis rebellia, *catarrhum suffocativum* &c. Pariter ex frigore alluente *ulceribus pedum* fœminæ quoque præ viris expositæ vivunt. Qualia damna in puerperis transpiratio impedita afferre soleat, ex *purpuratis febribus, erysipelaceis inflammationibus, uteri hæmorrhagiis* &c. quotidie observamus.

§. XVI.

Ratione *vite generis*, quia *laboriosi* transpirationem largiorem sibi contrahunt (§. 8.) est quod ex eadem impedita experiantur *lassitudines, fluxus catarrhosos, ephemeras*, plurium etiam dierum, *colli vitia, aribritidem vagam, pleuritidem spuriam* vix citra sudationis subsidium coercendas vel amoliendas.

§. XVII.

Quemadmodum præterea secundum qualitatem *Rerum non naturalium* transpiratio in bene cæteroquin valentibus diversimode obtinet (§. 8.) ita variat quoque illarum ergo effectus quoad negotium transpirationis læsum. Quod enim attinet ad *Aërem*, aër *humido frigidus* maxime offendiculo est, ex quo homines in locis paludosis, umbrosis, udis & uliginosis habitantes, existente *facie lurida & corporis habitu cachectico*, produnt remoras transitus cutanei, & proni non modo in *morbos* sic dictos *frigidos*, sed ab his vix unquam liberi sunt, nisi labor diurnus & mutatio coeli medellæ loco accesserint: valet eadem hæc ratio, quare in carceribus & cellis captivi detenti faciem floridam deponant, tristem vero induant; quoniam habitacula isthæc squalorem & vapidum aërem spirant, exercitia vero corporis exulant. Quam non transpirationem

nem turbant, qui corpore æstuante *potum frigidum* largis haustibus ingurgitant, & quam momentaneam inde ortam refocillationem ad dies vitæ infirmitate luunt, aliquando morti subitanæ se obnoxios reddunt! Hoc vero obtinet ab occlusionione transpirationis internorum viscerum, imprimis ventriculi, & quidem spasmodica hujus contractione, quam *inflammationes* male sæpius cedentes excipiunt, aut *exulcerationes, phibisin* & *hecticam* simulantes, insequuntur. Transpiratio quoque levi negotio turbatur, sicubi statim post somnum quis è lecto surgens corpus aëri frigidiori exponit. Viget enim magis, durante somno, transpiratio, quando Natura, actibus vitalibus tunc magis vacans, serum molestum, favente lecti & stragulorum calore, blande per porulos cutis excludit, & à somno tantisper continuat. Ex quo non malum consilium horum est, qui surgentibus placidam deambulationem, cantionem sonora voce expediendam, item corporis extensionem protensam suadent, vid. Dn. PRÆSID. *Manud. ad vit. long. pag. 68.* Ast sicubi sudans corpus aër frigidior ambit, quod etiam fit sub ingressu pedibus nudis in non assuetis, subito negotium transpirationis turbatur, humores ad cutim propulsi ad interiora abeunt, unde *catarrhi, coryza, gravedo*, cujus prodromus *sternutatio* repetita. Inter animi affectus *terror* imprimis transpirationem sufflaminare potest, quatenus sub revocatione sanguinis ad interiora pressio halitiosa deficit, de quo allegasse sufficiat phænomena sub terrore familiaria, *horrorem, pallorem in facie* & *macilentiam* in hujus musculis. Quodsi ille affectus surgat sub intentione Naturæ

turæ per diaphoresin sese à vitiosis humoribus liberandi, damna eveniunt vix non morte luenda.

§. XVIII.

Quantum denique valeat *Consuetudo* circa hanc excretionem, me tacente, omnes norunt, qui secundum genuina artis Medicæ principia praxin Medicam felicissimo cum successu insituunt. Non est ut multis memorem in quonam resideat ratio formalis consuetudinis, cum illam non tribuendam esse rei cuiusdam materiali, vel quotidia & familiaria admodum exempla ob oculos ponant, atque rei negotium sponte insinuet. Confer. Dn. PRÆS. Disp. de *Erbic. dolent. Definit. V.* Illud saltem hoc loco innuere volui, transpirationem hanc insensibilem & gradum ejus adauctum, sudorem in assuetis non sine gravissimis subsequens molestiis inhiberi. Constat ab experientia, quicumque certis anni temporibus vere, autumnis, item qui de nocte spontaneis sudoribus assueti sunt, sicubi hæc excretio, sanitati maxime congrua, fuerit turbata, eosdem conqueri de *torpore omnium membrorum*, ut *orbostadia* pœniteat, de *appetitu imminuto*, de *somnolentia*, de *pavoribus*, in somno, somniisve affligentibus, quæ omnia simul pereunt, ac sudor suetus redierit.

§. XIX.

Quamvis jam ex modo allatis ac ab experientia satis pateat, magnam catervam morborum esse, in quam homo ex præpedita transpiratione ruat, non tamen reticendum esse duco, familiarissimos inde morbos & ægritudines inductas circa pectus obvenire, & sub *asthmatis* specie tam à Veteribus quam Recentio-

centioribus clinicis annotatas esse; pariter ac in
asthmatis cura iterum respexerunt ad transpirationem
frictionibus, illinitionibus pedum, calefactionibus exter-
norum, diaphoreticis, balneis, præsertim pediluvii, regi-
mine calido, largiter promovendam.

§. XX.

Tandem mentio injicienda est *metaschematismi*
morborum, qui impeditam transpirationem insequun-
tur, sive variationis, ex qua longe alii videntur ac
qui olim fuerunt, etsi nexus illos inter prudentiores
Clinicos non fugiat. Frequentius equidem fiunt
translationes versus alia loca & quidem versus *pectus*,
ac modo monui, sed non adeo insolitæ, quando massa
sanguinea intemperie salina laborat, ut, quod sub re-
tropulsione hæret in poris cutis, serosum, exitum sol-
licitando, pruritus excitet, hic *scalpturam*, quæ *inflam-*
mationem post se trahit, quam *exulceratio* sequitur &
serosæ materie effluxus chronicus. Quodsi plethora
jamdum corpori gravis, surgunt nifus eliforii pro
temperamenti ætatisque genio tam ratione loci quam
ratione periodi valde diversi, à quibus *sanguineæ con-*
gestiones, & ab his *sinceri sanguinis exclusiones*.

CAPUT III.

examinat

Morbum corruptum & hujus cir-
cumstantias.

§. XXI.

Præmissis igitur istis, quæ ex Physiologicis & Pa-
thologicis ad præsentem casum propositum faci-
lius

lius explicandum facere posse arbitratus sum, pedem promoveo ad examen morbi in Historia descripti, quem ad *Morbos Corruptos* referendum esse in rubro Dissertationis hujus innui, gravissimis rationibus commotus.

§. XXII.

Licet enim historia morbi explicitis verbis afferat, sanguinem purum ac sincerum per laryngem rejectum, tum quoque magnam quantitatem cruoris accedente tussi ex pulmonibus exclusum fuisse, ex quibus signis chorus Medicorum hæmoptysin colligere assolet; licet præterea æger in illa ætatis periodo fuerit constitutus, in qua congestiones ad pectus, hæmoptysin non raro inferentes, contingere soleant; licet denique temperamentum ægroti Sanguineo-Phlegmaticum plethoram alat & foveat, sinceri sanguinis effusione imminuendam: nihilo tamen secius, si omnes in casu allatæ circumstantiæ paulo accuratius considerentur, & cum phænomenis in hæmoptysi spontanea i. e. à causis internis citra læsiones externas oriunda, familiaribus conferantur, ultro constabit, non pro ordinaria hæmoptysi exclusionem hanc sanguinis per laryngem & pulmones haberi posse. Ut autem eo clariori luce veritas allatorum radiet, non possum non, quin omnes differentias hæmoptyseos & morbi hujus corrupti ad Hæmoptysin referendi sigillatim exponam.

I. In *Hæmoptysi spontanea*, cui ansam præbet plethora, sanguis ordinarie tacite satis, blande, citra tussim aliasve molestias, prævia saltem titillatione pruriginosa secundum longitudinem asperæ arteriæ

D

se

se diffundente, ore cruore calido plus minus dulci repleto, excluditur, quandoquidem sanguis teneram pulmonum substantiam facillime lacerare & perruptis his cancellis libere profluere potest: ast in nostro ægroto præcesserunt puncturæ dolorosissimæ intra cavitatem pectoris, maxima angustia præcordiorum, quas insolitas molestias sanguinis sinceri effluxus sed absque levamine excepit; luculentissimo indicio, non fuisse plethoram hujus morbi simplicem causam, sed potius serum mucidum ac viscidum, quod Natura ob denegatam ejus per pedes exclusionem magnis moliminibus ad pulmones coëgit, ac ibidem excutere tentavit.

2: Si in *spontanea Hemoptysi* difficultas quædam ex individuali constitutione ægrotantium sese junxerit, eadem tantummodo se exerit in artubus, adsunt tensiones molestæ in musculis scapularum, dorsi, musculis posticis colli, quas nostrates *Stüsse* vocant; è contrario in hoc morbo adfuerunt gravissimæ in interaeneis pectoris angustia, oppletiones ejusdem, cruciatus immensi.

3. In *Hemoptysi spontanea*, quando hæc difficillime succedit, observatur tussis sicca & admodum gravis, asthma siccum, præclusiones faucium, gravativus pectoris dolor, flatulentia in primis viis, frigus extremorum, horror &c. hoc in morbo de omnibus illis nullæ querelæ, nullæ molestiæ, quin potius tussis, sanguine jam prodeunte, demum accesserit.

4. In *Hemoptysi spontanea* dolores supra memorati, aliæve molestiæ pereunt, sanguine sincero prorumpente; quinimo & illi, qui ante sanguinis profluvium
vehe-

vehementi tussi fuerunt correpti, sub ipsa sanguinis excussione ne exiguam quidem molestiam ab illa percipiunt, vid. JUNCKERI *Conspect. Medicin. Theoretic. Pract. Tab. V. p. 28.* ast in præsentî casu, licet mûlcrum cruoris fuerit exclusum, omnia in pejus abiere, tussis fuit gravior & suffocationis metus maximus.

5. Quando in *spontanea Hæmoptysi* sanguis per venæsectionem ventilatur & ex pulmonibus ad brachium magis derivatur, omnes molestiæ remittunt; è contra, reiteratam quoque hic in ægro Venæsectionem, & largam sanguinis educationem nullæ subsecutæ sunt induciæ, sed potius anxietates & angustia internæ augmentum ceperunt, imo leviores tensiones degeneraverunt in majores, scilicet spasmos, convulsivos motus in catalepsin & paralyzin tandem finientes.

§. XXIII.

Hæ circumstantiæ luculenter evincunt, magnam intercedere differentiam inter hæmoptysin ultro ortam, sive *idiopathicam*, & hanc, quæ ex occlusionè frivola ulcerum antiquorum irrepsit. Quam si quis velit referre ad symptomata occlusionis ulcerum pedum, sive ad hujus consequens, vel quocunque alio termino mentem exprimere velit; mihi perinde esse poterit, qui in phraseologia *Morbi corrupti* subsisto, & occlusioni memoratæ hæmoptysin, quæ hic describitur, tribuendam esse certissime mihi persuadeo.

§. XXIV.

Vixerat enim æger Juvenis, ulceribus pedum adhuc manantibus, satis bene, citra quod de pectoris angustia fuerit conquestus, & quamvis molestias secum attulissent ulcera, quæ in dolores quoque excreverunt;

veruut ; nullum tamen vestigium turbatae respiratio-
nis, vel vitii circa pectus aderat. Simulac vero ad
votum aegroti consolidatio obtinuit, circa inspiratio-
nem difficultas, in respirando stridor, pectoris opple-
tio à muco, & hujus per intervalla exclusio observa-
bantur. Quodsi ea, quae in antecedentibus tam ex
fonte Physiologico, quam Pathologico fuerunt addu-
cta, huic morbo applicentur, ratio singulorum phæ-
nomenorum, vel sic dictorum symptomatum facili
negotio reddi poterit.

§. XXV.

Quantum valeat *Consuetudo* circa excretiones su-
perfluorum & praesertim circa transpirationem insen-
sibilem, (§. 9.) fusius adduxi, & postmodum (§. 18.)
monui, talem consuetudinem frivole turbatam varia
mala, morbosque varios post se trahere. In aegro
nostro per sat longum temporis spatium ex ulceribus
pedum de sero superfluo ac noxio cum euphoria se
liberavit Natura, ut diu continuatis hisce excretio-
nibus consuetudo demum fuerit inducta, quam me-
dicaster suo medicamento styptico sustulit, & Natu-
ram, ut aliorum se vertat, infelici sane successu coë-
git. Quod vero ab inhibitione hujus excretionis
suetae humorum regurgitatio ad pectus facta fuerit,
tribuendum partim aetati aegroti, ad secundam peri-
odum accedentis, in qua morbi pectoris magis fami-
liares (§. 14.) ; partim suetae intentioni Naturae, hu-
mores ex pedibus retropulsos per pulmones elimi-
nandi, quando v. g. sudationem pedum, item poda-
gram frivole restinctam vitia pectoris subito inse-
quuntur ; (§. 15.) ut alia exempla brevitatis ergo si-
lentio

lento præteream. Remedia morbo adhibita, *Eccoprotica, Enemata, Vesicatoria, Fonticuli &c.* omni intentioni prosperrimo cum successu satisfecerunt, quatenus iis ipsis non tantum ultteriores congestiones versus pectus fuere impeditæ, verum & Natura inducta, ut per alia loca inferiora magis, ac magis congrua de exclusione materiæ noxiæ statueret, quæ feliciter peracta, pristina halcyonia redierunt.

s. XXVI.

Quod porro *symptomata* in Historia morbi allata concernit, itidem hoc assertum fulciunt & roborant. *Angustia* enim in *inspirando* originem duxit à majori quantitate sanguinis in pulmonibus pro exclusione ferosarum ac vitiosarum particularum collecta, unde vasa tam arteriosa quam venosa distenta compresserunt bronchia atque vesiculas pulmonales, quominus liberum ac jugem motum continuare potuerint. *Stridorem* in *respirando* concitavit tardior sanguinis per pulmones circuitus; tanta enim illius quantitas hic coacervata haud libere per vasa capillaria transire potest, sed arctiori bronchiorum fibrillarumve frictura ac compressione opus est, ne sanguis plane subsistat & in coagulum abeat; per coarctata autem bronchia aër cum stridore viam legit. *Respiratio anhelosa* testatur de desiderio aëris copiosioris ad propellendum sanguinem vasa supra modum distendentem, prouti talem respirationem quoque observamus in his, quæ vel ab aëris raritatem pulmones non satis distendi possunt, vel ob vitia colli liber ipsius ingressus in pulmones denegatur. *Oppletio pectoris à muco renaci* indicium est, sanguinem tardius in vasis pulmonum ambulare,

bulare, & respectu prioris motus moram quandam nectere, sub qua serum copiosius secretum haud sufficienter, uti in statu naturali quidem contingit, sub forma halituosa excludi potest, sed magna ejus quantitas in pulmonibus remanet, quod denique, expiratis particulis tenuioribus, in mucilaginem fatiscit vesiculis valde molestant. *A motu corporis*, quo pertinet equitatio velox sub aura frigida, omnia ingravescebant, quandoquidem sub motu corporis sanguis quoque celerius per vasa agitatur; ruit ergo insimul majori cum velocitate in pulmones, in quibus jamdum circulus sanguinis ob ejus abundantiam magnas molestias faceffit. Adaucta itaque in pulmonibus sanguinis quantitate, augeantur etiam insimul omnia symptomata supra memorata necesse est. *Febris ardens* morbo huic superveniens innuit citatissimum ac fervidissimum sanguinis motum, ad illum in pulmonibus collectum & stasin minitantem celerius propellendum. De hoc enim viscere, tanquam parte corporis principali admodum sollicita est Natura, ne corrumpatur, & in putredinem raptum mortem præmaturam acceleret. *Palpitatio cordis* indicium est, sanguinis nimiam quantitatem cordis thalamos ita extendere, ut Diastole atque Systole ea, qua oportet ^{ἀναστρέφει} se invicem excipere nequeant, imo fluctuare quasi cor sub hisce circumstantiis, ac interruptos suos continuare motus. *Calor igneus circa cor ortum* trahit ex majori præsentia sanguinis in vasis cordi vicinis, ubi enim major quantitas sanguinis in organum redacti, ibi quoque major calor; quemadmodum illud sub inflammationibus erysipelaceis toto die videre

videre licet. *Motus spasmodici & convulsivi* sunt focii & sodales anxietatis pro sanguine propellendo; Natura quippe sub hisce angustiis partes etiam remotas in subsidium trahit, quo vel spasmodica fibrarum contractione vel convulsivis motibus suppetias celeriori sanguinis circulo ferant. Erroneos vero ejusmodi nisus esse, certo colligitur, quod nullum emolumentum, nulla salus exinde resultet, sed potius, contritis sensim viribus, morbus in pejus ruat. *Paralysis brachii & pedis* indicat remissionem motus tonici, quippe quem incassum intensius concitavit Natura sub motibus istis spasmodicis & convulsivis; tædium ergo illius hanc capit, & à motu & sensatione harum partium plane abstinet, ut eo accuratius propulsioni sanguinis per pulmones invigilare possit. *A materie pituitosæ excretionem levamen* quoddam fuit observatum, quia exclusa hac materia non tantum sanguis paulo facilius circulare, verum & aër libere magis in intimiores pulmonum recessus penetrare potuit. *Dolor capitis gravatior*, consecrarium est febris ardentis, sub qua sanguis in orgasmum redactus cursum suum continuum per subtilissima quoque cerebri vasa prosequitur, hinc eadem magis distendendo renifum fibrillarum fortiolem & exinde dolores excitat. *Urina intense rubra* signum est febris ardentis, particulæ enim sulphuræ salinis commixtæ calore intensiore magis exaltantur, majorem rubedinem contrahunt, quæ abhinc cum Urina exclusæ, hanc colore rubro inficiunt.

§. XXVII.

Quod præposteram illam ulcerum curationem
atti-

attinet, eam causam procatarteticam hujus morbi corrupti fuisse, tam ex rubro dissertationis, quam ex ipsa morbi deductione sat satis demonstratum est. Morbos leves perversa medendi methodo degenerare in graviores imo curatu interdum difficillimos in praxi clinica tam notum est, quam quod notissimum, imprimis vero hoc obvenit, quando solitæ ac consuetæ Naturæ excretiones in salutem corporis diu satis continuatæ illico retunduntur ac supprimuntur; quantum enim valeat Consuetudo circa transpirationem insensibilem, & quanta damna ex intercepta tali consuetudine surgant, in §. 18. fusius exposui. Quid mirum itaque, quod tot tragica ac extraordinaria symptomata à repentina consolidatione horum ulcerum suborta fuerint? Rectius certe fecisset Medicaster, si universaliora, i. e. talia medicamenta præmississet, quæ Naturam blande ac successive ab hac exclusione declinassent & ad alia loca magis congrua derivassent, qualia sunt Eccoprotica, Enemata, Diuretica &c. Haud incongruum quoque fuisset, si ipsam sanguinis constitutionem, utpote quæ sub ejusmodi circumstantiis sæpius corrupta esse solet, correxisset ac emendasset, quo referri merentur Diuretica, Diaphoretica moderata, Resolventia, Incidentia &c. Hisce namque præmissis consolidatio ulcerum feliciori cum successu & securitate peragi potuisset. Quænam autem media huic scopo satisfecissent, libri Chirurgici, imprimis autem D. HEISTERI *Chirurgia Libr. V. Cap. I.* accurate satis edocent, ut omnium recensione brevitatibus ergo supersedere queam.

§. XXVIII.

Methodus denique in cura morbi hujus corrupti adhibita omni intentioni ex affe satisfecit. *Venesesectione* enim repetita, propinatis *Laxantibus*, *Vescatoriis* applicatis, *Enematibus*, sanguis una cum reliquis humoribus ad inferiora magis fuit derivatus; *sedativum Dippelianum* aliaque *Antispasmodica*, extraordinarios mitigarunt motus, *Expectorantia* mucum in bronchiis hærentem excluderunt, ac denique *Fonticuli* in pedibus excitati ad pristinam excretionem sventam Naturam sollicitarunt; hacque obtenta tota symptomatum caterva fuit sublata, ac æger pristinae sanitati redditus.

CAPUT IV.

Specialius *Circumstantias in Historia allatas ponderat.*

Placuit vero Excellentissimo Domino PRÆSIDI meo totam morbi historiam adhucdū semel percurrere & quæ ad Cautelas practicas aliave monita medicopolitica facere sibi visa sunt, prioribus addere.

Juvenis decimum nonum agens annum. Dantur morbi ætatum, hinc juvenes quoque suos morbos admittunt. (§. 14.) Licet vero exinde concludi haud possit, non nisi illos morbos, qui ex ætate sunt, homines sub ætate, quam agunt, corripere; hoc tamen veritati consonum, semper in morbis etiam à causis externis oriundis Naturam ad locum respicere, quem ætas indicat. Medicum clinicum igitur oportet, ad hunc probe attendere, ut justam magis prognosin formet. Quo fundamento arcanum Uromantarum quoque nititur, quod morbi symptomata
E
fatis

fatis prope divinari & exponere queant, si ætatem ægroti resciverint. In præsentī casu ætas favet congestioni Naturæ ad pectus pro excludendo fero in pedibus cohibito.

Sanguineo-Phlegmaticus. Restitutus est hodie hos Temperamentis, quem schola Cartesiana fere abstulerat, prouti ex scriptis Philosophorum hujus sectæ & imprimis WALDSCHMIDII legere est.

Pertinet sane ad necessariam Medici cognitionem de temperamento ægroti esse informatum, quandoquidem talis notitia non tantum ad ætiologiam, sed etiam ad prognosin in praxi clinica multum confert.

Ante aliquot annos - - - ab exulceratione pedum graviter affligebatur. Dixerim non invita experientia, ulcera cutis & imprimis scabiem esse morbum, qui ex vitæ genere alumnis Musarum proprius sit; vel quod victus crassus largiter adsumptus ad exulcerationem talem conferat; vel quod vita sedentaria ciborum in ventriculo subactioni & chyli attenuationi obsit; vel quod contagium illam inferat. Valet adhuc hodie antiquum illud:

Sunt tria, quæ nostros vexant plerumque sodales,

Paupertas, scabies, ac pituita frequens.

Diu satis hanc sustinebat - - - inter salutare relata fuit. Ad Pseudodoxiam sive errores vulgi & medicamentorum pertinet, scabiem aliave cutis exanthematum quoque fluxusnarium &c. reponere in numerum morborum salutarium, nec ergo ad medendum remedia quærere. Cujus opinionis matrem esse judico historias quæ aliquando morbos graves tali excretionem vel simultaneam, vel chronica periisse tradunt. Præstat

stat principiis obstare, quam sero medicinam parares; æque hic Juvenis, de quo historia agit, in tam graves fyrtes haud incidisset, si in tempore scabiei pedum & horum ulceribus ex consilio medico medelam attulisset.

Cum vero ulcera demum - - - mitigari potuerunt.
Ad ulcera pedum *Unguenta*, quo etiam encomio commendentur, parum conferunt, quia pingua, ex quibus constant, à sero ulcerum falso in mucidum purulentum convertuntur, ex quo consolidatio magis impeditur, quam promovetur. Rectius hodie *balsamicis, detergentibus, leniter adstringentibus*, qualia sunt *Aqua calcis vivæ, balsamus Peruvianus, vinum cum liibargyro, zibure, myrrha, bolo coctum &c.* videatur supra laudatus D. HEISTER l. c. tam ad mundificationem quam ad consolidationem ulcerum utimur.

Hunc corporis sui statum - - - annos duraverat.
Referenda omnino ulcera pedum ad morbos chronicos, qui per longum satis tempus durant, atque observationes Medicæ testantur, ab annis adolescentiæ ad senium usque eadem perstitisse, quocirca non levis suspicio est, eadem fistularum imitari indolem, hinc difficulter coalescere. Quæ dexteritate CHIRON CENTAURUS antiqva isthæc ulcera curare noverit, vel abhinc patet, quod in hunc usque diem ulcera cacoëthia *Chironia* dicantur, i. e. à solo CHIRONE curanda; sed quæ methodo hic usus sit, non adeo liquet.

Diutius ferre - - - anxie efflagitabat. Morbi Chronici sunt empiricorum & medicastrosum summi Patroni. Quia enim illorum medica curatio brevi temporis spatio absolvi non potest, quin expectatio

fit in numero remediorum, ægrorum vero desiderium est, cito curari, hi faciles aures præbent thraſonibus medicis, qui sunt promiſſis divites, horum conſilia avide arripiunt, etiamſi latere anguem in herba admoneantur.

Invenit tandem quendam - - aliquoties imponendum.
 Quale remedium fuerit, quod medicaster obtulit, non æque conſtat, Aluminofæ tamen vel Vitriolaceæ indolis fuiſſe ex effectu colligere eſt. Obtingit autem hic, quod paſſim in arte Medica pro regula eſt: diſtinguenda eſſe tempora, quibus medicamenta adhibeantur; ſcilicet præmiſſis præmittendis, i. e. univerſalioribus prius adhibitis, quæ maſſam ſanguineam correxiſſent, de quibus in præcedentibus, ulceribusque probe deterſis, ad ſimplicem occluſionem non ineptum fuiſſet hoc remedium, nec poſt ſe damna traxiſſet, quæ ab intempeſtivo ejus uſu jam nata erant.

Æger vori quidem particeps - - anguſtiam ſub inſpirando &c. Nil facilius obtingit in praxi Clinica, quam quod Medicus majus malum ægro afferat, ſed nil difficilius, quam ægros convincere, ut credant, illud malum à medico vel imperito vel intempeſtivi officioſo eſſe inductum.

Præſtaret decumbentium lectis verba HIPPOCRATIS appingere, quæ habentur *Libr. de Veter. Medicin.* *Illum Medicum ego vehementer laudari, qui parum delinquat. Certitudinem autem exactam raro videre licet. Proinde plerique Medici eadem, quæ mali navium gubernatores, admittere mihi videntur. Illi enim cum in tranquillitate gubernantes delin-*
 delin-

delinquere animadvertit. Quod si vero vehemens ventus aut tempestas illos oppresserit, tunc omnibus manifeste constat, navem eorum imperitia aut culpa fuisse perditam. Ad hunc sane modum mali Medici, quando homines nihil grave patientes curant, in quibus vel gravissimi errores commissi, non magnam tamen noxam inferunt. Sunt autem multi hujusmodi morbi, ac longe frequentiores, quam ii qui cum periculo conjuncti sunt. In talibus inquam delinquentes idiotis & plebejis manifesti non fiunt. Ubi vero in magnum vehementem ac periculosum morbum inciderint, tunc ipsorum ars & errores omnibus sunt in conspicuo. Horum autem cujusque vindices pœnæ non longe absunt, sed celementer adveniunt.

Stridor in respirando - - à mucò tenaci. Si Asthma ab obesitate exceperimus, vix quoddam praxis clinica sistit, quod non transpirationem impeditam pro prima causa habeat. In hoc puncto difficultatis asthma curandi ætiologia etiam fundata est; idem se sistit in Senibus, ac veteres cecinerunt:

Hydrops & Asthma

Mirabile Phantasma

Quod nullum curat cataplasma

nam in hac ætate transpirationem imminutam iterum redintegrare magnorum halituum opus; cutis in se magis concidit, quia à musculis turgidis non amplius extensa servatur, pori ergo collabuntur & angustiores fiunt.

Cui tamen interdum - - levamen afferebat.

Levamen sub asthma, quod mucosorum è pulmonibus exclusio illo laborantibus affert, desiderant egori & Empirici, ex quo illi in dulcibus, hi in expecto-

vantibus solamen quærunt, sed momentaneum illud multa angustia pectoris, aliquando etiam phthisi lunt. Debeo hoc monitum Præceptoribus meis, ut abstineam à famosis illis *Pectoralibus* excretionem promoventibus, quæ sub forma *Decoctorum*, *Syruporum*, *Linctuum*, *Electuariorum*, &c. in Officinis aut prostant, aut præscribuntur & commendari imprimis à choro muliercularum, aliorumve œconomia animalis minus peritorum assolent: cum sufficiat horum tantum concedere, quantum ad hujus, qui in bronchiis collectus est, mucii remotionem desideratur; novum vero affluxum & congestionem familiarem *Eccoproticis* reiteratis infringere ac præoccupare ratio sva-deat, quia pulmones non sunt adæquatam organum excretorium mucosorum, quippe quæ cum emolumento corporis per tubum intestinalem evacuantur. Quod etiam hodie morbus rarior fit *phthisis* (si loca exceperis, ubi endemium morem induit, & medicationem perversam, de qua modo dixi) ac quidem ex observationibus & epistolis clinicis veterum Medicorum colligere est: hoctribuendum esse censeo mutatae methodo medendi in pectoris morbis, exulanti-bus memoratis **Brust-Träncken**, **Brust-Pulvern**, **Brust-lösenden Safften**. Unicum sane remedium *Eccoproticum* magis liberat pulmones à muco, quam decem brodia *antiphthistica*.

Talis erat - - - continuantis facies.

Si Medico domestico, i. e. Naturæ præsidi aliquando morbi relinquntur vel cicurandi vel amoliendi, breviorum hi servant & æqualiorem circulum, quam si magno

magno remediorum apparatu in illos indoctus naturæ minister arietaverit. De Phthisi vulgus novit & experientia docuit: **Wann die Schwindsüchtige anfangen zu doctern** (phrafi hac farraginem medicamentorum intelligit) **so reifen solche bald nach den Kirch-Hoff.** Magni momenti regula, nosse in ægritudinibus quando medendum sit; utinam afflicti otium hoc permitterent Medico fido & probatæ dexteritatis. Præprimis juniores Practici de contemptu illius regulæ graviter conquerendi ansam habent, dum ab his citra omnem exceptionem postulatur, ut multa ordinent, cumque Veteranorum autoritas his sit umbonis loco, illi facile petitis annuunt. Quodsi ergo & novi & juniores Medici, secundum proverbium, *novum impleant cameterium*; cordatus quis ponderet, annon pluries penes tumultatum culpa refideat?

Omnia autem memorata - - - per laryngem ejicere-
tur. Obtinuit in hoc ægro, quod de Nephriticis III. STAHLIUS, & hoc præeunte JUNCKERUS *in Medic. Theor. - Pract.* attulit: sincerum sanguinis effluxum liberare calculosos à frequentia paroxysmorum. Nam sanguinis quantitas ante fuit exclusa, quam in mucum tenacem in bronchiis abire potuerit.

Fuerat horum omnium remissio - - - equo veclus festi-
nabat. Sollicita admodum Medica Schola quoad morbos acutos est in paroxysmorum redeuntium annotatione, itidemque in febribus intermittentibus ad illos attendit; sed morbi diuturni vincunt patientiam, quæ hic ferrea requiritur. Pariter afflictos tædium tandem

tandem corripit; ut, si non Medicum mutent, negligent tamen monita medica; Sie müssen sich endlich nur heraus machen, in die Luft wagen, essen was schmecke, und leyden was davor gehöre. Sed non omnes Medici sunt tali judicio instructi, quali fuerunt HIPPOCRATES, CÆLIUS AURELIANUS, FORESTUS, SYDENHAMMIUS, BAGLIVIVS, STAHLIUS, &, qui ante aliquot annos ad superiora evectus est, HABERMANNUS, Professor hujus Almæ in observando historias morbi indefessus, singula phænomena in pugillariis notans, ut alios taceam.

Enimvero quoniam - - - differebant.

Linquo Judicium & Confessionariorum, qui ad mortem condemnatos comitantur, examini, quousque salutis horum æternæ conferat, ipsa morte horridam magis sententiam de hora in horam suspendere, & annon hac methodo afflictis addatur afflictio; hoc tantum indico, promptitudinem Justitiæ in Batavia omnibus justam videri & misericordiæ speciem, quam cum reo habent: animus damnati in angustiis constituti, metumve inter & terrorem versantis protractione tali ita obtunditur, ut magis mortuus quam vivus existat, quando ad locum supplicii venit.

Atque propter turbam - - se continere potuerit.
Accidit ægroto huic, quod passim mortalibus, ut, quæ oblectant, præferant his quæ necessaria sunt. Utinam omnes æque peccantes tam cito damnum perciperent, ac hic ægrotus, certe Reipublicæ foret magis consultum: imprimis vero in Praxi Clinica exempla hujus

hujus regulæ quotidie occurrunt ; appetunt non modo qui lecto detinentur talia, quæ palato arrident & appetitui placent, etiamsi Medicus ista dissuaserit, vel sana ratio talia vitanda monuerit, sed quoniam non statim noxas inde persentiscunt, levamen autem parvum quidem imo potius apparens magni aestimant, repetunt scenam, donec accessu damni cum Phrygi- bus sero sapere & resipiscere discunt.

Simulac - - - exanimis fere decumbebat.

Quodsi huic ægroto adstitisset Diogenes, exclamasset: *Tanti poenitere non emo!* Impar est valde proportio inter momentum levaminis, quod ægri ex appetitu incongruo impetrant & temporis spatium, quo luere tenentur : adeat, qui his fidem dare recusat, lectos diarrhœis, nephritide, podagra, passione hysterica decumbentium, & hos examinet, quæ tormina, quos motus convulsivos, quales spasmos, quantum languorem experti fuerint, si facilem accessum dulcibus, vini- nis acidis, iræ, tum quoque Veneri permiserint.

Hec excretio - - - parens ægroti curabat.

Notissimum est, quam Catalogus *Medicæ* Parochos (ex talium numero vero est, qui hic allegatur, ægroti parens, isque non indoctus, neque imprudens) sibi insertos esse gloriatur, & abhinc turgidus fit, quod quotidie querelæ de insultibus illorum in artem Medicam coram foro Apollinis agantur. Sed qui scapham scapham dicere vult, & Parochos tali nomine dignos ab illo indignis habet removendos. Valet sane hic regula, quæ in controversiis sacris allegatur, non esse toti religioni tribuendum, ac si hæc omnia credat, quæ unus vel alter illi deditus in suis scriptis proposuerit ; nec ergo toti ordini sacro infame nomen

Medicaftri est imponendum, quamvis hinc inde non defint, qui ex condigno sibi illud tribui omnibus modis allaborant. Est & manet Parochus *Medicaster*, qui vel gloriolæ ergo, vel ex superabundantia scioli ingenii, vel tandem ex lucro Medicam artem penes suæ fidei concreditos exercet, & quicquid viribus medicamentorum deest, aut deesse novit, sua auctoritate, suoque habitu sacro, & tandem suada pomposa suppleri posse sibi persuasum habet. Nec minus titulum Medicaftri meretur, qui inter Medicos etiam probatos pro suo genio vel ingenio, pro suo affectu vel odio, hunc fidei suæ commissis commendat, alium disuadet, illum laudat, istum culpatur: v. g. Ey mein Freund, nehmet meinen Sohn, nehmet meinen Bruder, nehmet diesen oder jenen Mann, das sind geschickte Leute, die wissens gleich, wo es ihnen sihet; haben auch keine Specifica und Arcana, damit sie ihren Patienten gern und willig an die Hand gehen; BARTOLUS, und BALDUS, LUCIUS und CAJUS &c. sind zwar gelehrte Leute, fromme und geübte Männer, aber sie haben sich in die Bücher verliebt, haben auch solche Fälle, die keiner von ihren Kranken begreifen kan, daher eilen sie, was sie können, von den Patienten weg, daß sie nur wieder auf ihre Stube kommen, und sich weiter mit ihren Gedanken besprechen; will man sie wieder haben, da kostet es Mühe, und sie sind verdrießlich; solche Leute gehören nur für dergleichen Patienten, welche sie mit Gelde aufwägen können & reliqua. *Econtra quis vellet agre ferre, qui videt & audit, Parochos non vanitate sed charitate motos sub absentia Medici & hujus consilii, ex experientia sibi nota talia consilia dare ægrotis, quæ levamen saltem, si non omnem juvamen afferre potis sint. Multi sane ante periissent, quam auxilia Medica impetrare potuissent, quos in subsidium datum consilium Parochi in vita servavit; vero ergo Medico hi tales non sunt Medicaftri, & Medicus hujus ægroti non potest non laudare Venæsectionem allegatam.*

Cruor

do Cruor è vena missus - - - largiter ducebatur. Re-
 petita hæc Venæsectio debuit quantitatem majorem
 sanguini detrahere, quam prior non omnino exhau-
 ferat. Reposita quoque est magna juvaminis ratio in
 proportione remedii quod adhibetur. Id quod quoad
 Pharmaceutica probatione nulla indiget, examinentur
 modo Vomitoria; sed quoque quoad remedia Chirur-
 gica admodum diversus est effectus ratione propor-
 tionis, quæ sufficiens & adæquata esse debet. Una ea-
 demque Venæsectio, in uno eodemque morbo, in uno
 eodemque loco, æque nocere quam prodesse potest.
 Incusant *Germani Gallos*, quod sanguinem nihili habeant;
 dum larga quantitate & repetitis vicibus è vena fluere
 permittunt: sed quid respondebunt *Germani*, quando
Galli hos arguunt nimix timiditatis, dum, si una alte-
 rave uncia sanguinis effluerit, statim iterum vulnus
 occludunt, &, adjecto voto, recedunt? Qui has lites ve-
 lit decidere, ne veritati prævaricetur, habet, ut ad pro-
 portionem, amissim in hac causa, probe attendat.

Cum autem sanguis - - - ad fascinum omnia relata.
 Forent varia hic monenda circa visiones, fascinum, &c.
 sed cum hæc multas pagellas velint, imo mererentur
 volumen quoddam, ab illis abstinere; addo saltem,
 dari visiones & fascina, quæ non commode ad forum
 Theologicum trahi possint.

Hæc omnia durabant - - - abnuebat eos æger.
 Quis nolle Medicos vocare agrotorum MARTY-
 RES? Vocantur ut juvent, dum juvare volunt, se
 illis opponit æger vocans; illi instant ut obsecundet,
 addunt rationes, quas capere potest æger; rationibus
 nectunt exempla, exemplis jungunt preces, æger una
 saltem svada & uno tantum verbo regerit, se nolle
 confi-

consilium hocce. Medicus exponit damna, nisi obsecundet, à minuto in minutum crescentia, esse periculum in mora, se fore propriæ salutis contemptorem; æger repetit priora, quid consilii? Medicus tenetur, quam potest, favere ægroti, vel mutando consilium datum in aliud, vel redigendo medicamenti formam in aliam, vel addendo prioribus talia, quæ appetitui ægroti placeant, & sibi gratulatur, si tandem patientia sua morositatem ægri vicerit.

Varia Medicamenta - - feliciter tollebat. Qualis compositio *Sedativi Dippeliani* sit, non opus est, ut asseram, cum illam jamjam omnes Pharmacopœi norint. Ex cruore bovino hoc fuit paratum, quod ægroti dabatur, idque non in forma olei, ac quidem *DIPPELIUS* vult, & qui hunc stricte sequuntur, sed sub forma liquida, i. e. Spiritus cum oleo fedecies per retortam circumagitatus. Credidit enim hic Medicus, eundem fore effectum, hanc vero differentiam sibi esse, quod, cum oleum nimis concentratum, hinc odoris radiosissimi, magna cum difficultate, quod ipsi Autores illud laudantes consententur, exhiberi possit; hic non tanti odoris sub forma liquida cochleatum sensim sensimque propinari possit. Unciæ vero tres fuerunt, quas Medicus propria manu repetitis vicibus ori ægrotantis infudit.

Post mensem hic - - iterum eluclabatur. Hic exemplum regulæ, quam surdis narrent fabulam Medici, quando svadent, morbo ethi superato, tamen continuandam esse observationem regularum diætetarum; sed nolo hæc fusius exponere, nam hic contemptus consiliorum sanorum æque ac intemperantia alit Medicos.

Præservationis ergo - - fruens valetudine. Vicit jam, ac antea attuli, patientia Medici obstinationem ægroti, & obtinuit, quod de *TIBERIO* dicitur, qui pro uno tandem libro illud pretii solvit, pro quo omnes septem libros obtinere potuisset, in hoc ægroti, qui fonticulum admisit; quem si antea admisisset, non tot diris & miris symptomatibus expositus fuisset. Felices ergo, qui ex hoc ipso exemplo sibi capient, quæ sub invadentibus morbis usui futuro esse possint.

Tantum.

Corrigenda.

Pag. 4. lin. 21. pro pratum leg. pretium. Pag. 13. lin. 28. pro citus leg. citius.
 p. 14. l. 20. pro ejusdam lege cujusdam. p. 15. lult. pro aliquid lege aliquid.
 p. 20. l. 1. pro expirant lege expirent. p. 24. l. 13. pro insolite lege insolitum.
 pag. 25. lin. 10. pro exclusum lege exclusam. pag. 29. lin. 28. pro ab lege ob.

Bo A 6421



Ht. M nur

verknüpft


TA-DOL

R

W28

VD 17





Farbkarte #13

B.I.G.

13 12
 INAUGURALIS MEDICAE
 SISTIT

**CORRUPTI
 CIEM,**

PTYSIN

FAUSTA
 IDATIONE
 M PEDUM.

OVAM
 MAE FACULTATIS MEDICAE,
 RESIDIO
 I SPECTABILIS

**RGII DE-
 DINGII,**

Ordin. Facultatis, Colleg. Ducal. & totius
 acad. Natur. Curiof. Colleg.

MOTORIS ad urnas devenerandi,

VARNUM ACADEMIA
 bus ac Privilegiis legitime consequendis
 que examini submittit

SCHÆFFER, Wifmar.

D. Decembr. A. R. S. MDCCCXXXV.
 post meridiem statis.

TOCHII,

SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

